

*Istrumento di censo
che fa Guglielmo Ruffo*

Basilicata University Press

—

Digital Humanities

Edizioni e data-bases digitali
sotto la direzione di Fulvio Delle Donne

*Istrumento di censo
che fa Guglielmo Ruffo*

1338-04-28

In nomine Domini, amen. Anno a nativitate eiusdem millesimo trecentesimo trigesimo octavo, die vigesimo quarto mensis aprilis, sexta inditione, apud Seminariam, regnante re Roberto, Dei gratia inclito Hierusalem et Sicilie rege, Ducatus Apulie et Principatus Capue, Provincie et Forcalquerii ac Pedemontis comite, regnorum suorum anno trigesimo, [feliciter amen].

Nos, Franciscus de Iudice Nicolao, iudex terre Seminarie, et Bartholomeus de Lazaro, regius publicus eiusdem terre notarius, et testes subscripti, ad hoc specialiter vocati et rogati, presenti scripto publico notum facimus et testamur universis, tam presentibus quam futuris, quod in nostra presentia constituta, infrascripta persona de Seminaria, ad hec notario Ioannes Chaleli, procuratore generale ut asseruit domini Gulielmi Ruffi de Calabria, comitis Sinopolis, animo se obligandi, sponte confessi sunt se tenere et possidere a prefato domino comite infrascripta bona stabilia, sita et posita in terra Seminarie, cum pertinentiis suis, ad annum censum, seu redditum particularem et distinctum, videlicet, Jacobus de Salvia tenet et possidet terram unam sitam in loco dicto de Petruso, cum arboribus in ea existentibus, prope terram Rogerii Gudi, terras quondam iudicis Jacobi Donnapopa et alios confines, ad annum censum granorum decem, pecunie usualis. Nicolaus Trudenti tenet et possidet quandam vineam sitam in loco dicto Falara, prope vineam Gutte de Mazaragno, prope vineam Pere de Intrazarani et alios confines, ad annum censum tarenii unius, pecunie usualis. Costantia Mule, uxor Georgii de Gericambio, iure communi romano vivens, tenet et possidet domum unam sitam in convicinio Sancte

Marie de Strangis, prope domum Dominici de Catansario, viam publicam et alios confines, ad annuum censum granorum quinque. Magister Rogerius figulus de Mileto, habitator Seminarie, tenet et possidet domum unam sitam in convicinio Sancte Marie de Strangis, prope domum domine Palmine, mediante vinella domum Ioannishortulanii, et prope aliam domum ipsius domine Palmine, moenia terre Seminarie et alios confines, ad annuum censum granorum duorum, ipsius predicte usualis. De qua quidem confessione predictorum personarum, predictus notarius Ioannes nomine et pro parte prefati domini comitis requisivit nos, qui supra iudicem et notarium publicum nostrum in hac parte officium implorando, et testes subscriptos, ut ad ipsius domini comitis et heredum suorum cautelam ei exinde fieri faceremus publicum instrumentum.

Cuius requisitionibus iustis, ut pote, annuentes, ad ipsius dominum comitis et heredum suorum cautelam, ei exinde fieri fecimus presens publicum instrumentum, scriptum per manus mei predicti notarii publici, nostrum qui supra iudicii, notarii et testium subscriptorum signis et subscriptionibus roboratum. † Franciscus de iudice Nicolao, iudex terre Seminarie. † Notarius Marchisius de Theti [testor]. † Rainerius de Thetis, testor. † Iordanus de Lazaro de Seminarie, [testor]. † Iordanus de Nicolao, testor. † Damianus de domino Valentino [testor]. † Bartholomeus de Lazaro, regius publicus, scripsit et signo suo firmavit.